Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2577
Quelle:
Copyright:

praga de reformacione ecclesie factus post electionem. Videlicet *Martini V. Constantiae.* In illud: *Ecce ego mitto ad vos prophetas. Matth.* XXIII. Incipit: *Sanctissimum Concilium super fundamentum prophetarum edificatum* &c. Probandum adsumit: *Quod totalis intentio istius evangelice missionis est causa ecclesiastice reformationis.* En nova ad Viri hujus Scripta accessio, qui ampliorem certe in Bohemia docta memoriam deinceps merebitur.

XXXIII. *fol.* 241. *Sermo, ut puto Magistri Johannis Zacharie* — —. Ordinis Eremit. S. *Aug.* erat hic Theologus, ut ad alium Ejus *Sermonem Constantiae* habitum notavi *Cod.* mox cit. qui, cum *de Pace Ecclesiae* tractet, ut praesens iste, Librarium fortassis induxit, ut unum pro altero caperet. Est vero Thema nostri: *Pax Dei exsuperat omnem sensum. Ad Philip. 4. cap.* Additur: *Et in epistola presentis dominice.* Quoniam vero mox ab ingressu legitur: *Et quia hec dies ut puto, tocius anni breuior est, in qua eciam sol circa nos breuissimum describit circulum* &c. Epistolam hanc eo aevo ad *Dom. IV. Adventus* pertinuisse oportet; hodie enim ad *Dom.* III. pertinet. In ipso Sermone consideratur I. Pacis ecclesiasticae Ordo. II. Pacis significatio. III. Pacis reformatio.

XXXIV. *fol.* 246. *Sermo fratris Jeronimi ordinis Heremitarum sancti augustini electi Ariminen. sacre theologie professoris Ambasiatoris Magnificorum dominorum de mala testa. De Aduentu et finali iudicio.* Thema: *Dominus prope est. Ad Phil. 4.* c. Ex eadem cum praecedente Epistola. Initium: *In huius mundi deserto solitudinis propter prime legis prevaricationem* &c. Graviter hic Sermo temporum et ecclesiae infelicitatem describit. Inter alia legas: *Audiui a quodam doctore magne fame nostri studij, qui dixit se audiuisse pluries a quodam episcopo, qui fuit in morte fel. record. Gregorij XI. apud Romam* (1378.) *quod dominus papa in mortis articulo de isto Schismate dixit concludens, quod secundum ecclesie dispositionem multum timebat, quod esset istud schisma prope sicut de schismate inter grecos et latinos, quod dominus per suam immensam clementiam et misericordiam auertat, faciatque unusquisque quod in se est.* Orator *Arimino* vel *Regio Lepido* oriundus Sedem ipsam adiit auspice *Martino* V. 1418. vivis exemtus 1435. teste *Ughello Ital. sacre* T. II. *col.* 432. addendus Bibliothecae Ord. *Ossingeri.*

XXXV. *fol.* 254. *Sermo de Concilio Generali.* Thema: *Prosperum iter faciat* &c. *Job. Gersonis* est *Sigismundo* Imp. in *Hispaniam* abeunte *Constantiae* habitus et a nobis saepius relatus.

XXXVI. *fol.* 259. *Sermo Reuerendissimi domini Cardinalis Cameracen. in Constan. concilio.* Thema: *Signum magnum apparuit in celo.* &c. Sermo hic *Petri de Alliaco* jam indicatur *Cod.* DLXXII. quem confer.